ի Հօրէ Eſt ablativus, quem efficit præcedens præpoſitio ի ab. à Patre. Itaque totum hoc compoſitum hunc ſenſum exprimit: Credimus Spiritum Sanctum Non genitum, ſed procedentem à Patre; quæri igitur circa hæc verba à non nemine poſset: cur Spiritus Sanctus Non genitus dicatur, ſed Procedens à Patre? Breviter hic reſpondeo, verbaque Gregorij Nariekenſis Epiſcopi refero: Spiritus S. inquit, eſt ſpiratio à Patre ineffabiliter, non uti Filius generatione, ſed proceſsione ex eſsentia illius: juxta illud, /: Joan: 15. 26 :/ Spiritus veritatis, qui à Patre procedit. Sic quoque Clajenſis Patriarcha: Spiritus Sanctus eſt proceſsio à Patre. Et tandem Lampronenſis Epiſcopus. Spiritus S. eſt proceſsio à Patre ad inſtar fontis, ſibi ſoli perſcrutabile exemplum, et creaturis incognoſcibile. Verum quidquid demum dicatur de hac ſatis ſpecu=